

Donatus Opus minor (Ars grammatica)

de praepositione | praepositio quid est? pars orationis, quae praeposita aliis partibus orationis | significationem earum aut complet aut mutat aut minuit. praepositioni quot accidunt? unum. | quid? casus tantum. quot? duo. qui? accusatiuus et ablatiuus. |...

da utriusque casus praepositiones. in, sub, super, subter. in et sub quando accusatiuo | casui seruiunt? quando uel nos uel quoslibet in locum ire isse ituros esse significamus. | quando ablatiuo? quando uel nos uel quoslibet in loco esse fuisse futuros esse significamus. | in accusatiui casus, «itur in antiquam siluam»; in ablatiui casus, «stans celsa in puppi»; sub | accusatiui casus, «postesque sub ipsos / nituntur gradibus» sub ablatiui casus, | «arma sub aduersa posuit radiantia quercu». | super quam uim habet? ubi locum significat, magis accusatiuo casui seruit quam | ablatiuo; ubi mentionem alicuius facimus, ablatiuo tantum, ut «multa super Priamo rogitans», | hoc est de Priamo. in quam uim habet? etiam tunc accusatiuo casui seruit, cum | significat contra, ut in adulterum, in desertorem. subter quam uim habet? eandem quam | superiores ad locum et in loco significantes. | quae praepositiones sunt, quae dictionibus seruiunt et separari non possunt? ut di, | dis, re, se, am, con. quo modo? dicimus enim diduco, distraho, recipio, secubo, | amplector, congregior. quae sunt, quae iungi non possunt? ut apud, penes. quae iunguntur | et separantur? reliquae omnes

Isidor ze Sevilly, Etymologiae I, 7

[31] Casus a cadendo dicti; per eos enim inflexa nomina variantur et cadunt. Nominativus casus dictus quia per eum aliquid nominamus, ut "hic magister" Genetivus, quia per eum genus cuiuscumque quaerimus, ut "huius magistri filius" vel quod rem significamus, ut "huius magistri liber" [32] Dativus, quia per eum nos dare alicui aliquid demonstramus, ut "da huic magistro" Accusativus, quia per eum aliquem accusamus, ut "accuso hunc magistrum" Vocativus, quia per eum aliquem vocamus, ut "o magister" Ablativus, quia per eum nos auferre aliquid cuiquam significamus, ut "aufer a magistro" [33] Hexaptota nomina dicta eo, quod per sex casus varietates habent, ut est "unus" Pentaptota, quod tantum in quinque casibus variantur, ut "doctus" Tetraptota, quod tantum in quattuor casibus declinentur, ut "lateris" Triptota, quod tantum in tribus, ut "templum" Diptota, quod tantum in duobus, ut "Iuppiter" Monoptota, quod uno tantum casu utuntur, ut "frugi"

Caesarius z Heisterbachu, Dialogus miraculorum (Caesarius von Heisterbach, Dialogus miraculorum V, lat.-deutsch, ed.H. Schneider, Turnhout, Brepols 2009)

Liber XII. De praemio mortuorum

Capitulum XLVI. De scholare, cuius anima in specie columbae assumpta est

In civitate Bonenensi quaedam inclusa erat habitans, religiosa satis atque devota. Haec cum nocte quadam rimulis cellae suae splendorem immiti cerneret, et diem esse putaret, territa propter horas nondum dictas, surrexit, fenestram versus cimiterium aperuit; et ecce iuxta caput sepulchri cuiusdam scholaris recenter illuc sepulti, miri decoris feminam stare conspexit. Gloria corporis eius eandem lucem creaverat. Stabat et columba nivea super tumulum, quam illa rapiens misit in sinum suum. Inclusa vero licet iam intelligeret quae esset, tamen cum reverentia quaenam foret requisivit. Cui illa: „Ego sum mater Christi, et animam scholaris huius qui vere martyr est tollere veni.“ Revera scholares si innocenter vivunt et libenter discunt, martyres sunt. Quod si postea artes doctas in caritate, maxime in Dei servitio exercuerint, magnam ex hoc mercedem consequentur. De hoc audias exemplum.

Carmen XIV
MODUS LIEBINC.

De puero niveo.

1a
Advertite,
omnes populi,
ridiculum
et audite, quomodo
5
Suevum mulier
et ipse illam
defraudaret.
10
1b
Constantiae
civis Suevulus
trans equora
gazam portans navibus
5
domi coniugem
lascivam nimis
relinquebat.
2a
Vix remige
triste secat mare,
ecce subito
5
orta tempestate
furit pelagus,
certant flamina,
tolluntur fluctus,
post multaque exulem
10
vagum litore
longinquo nothus
exponebat.

2b
Nec interim
domi vacat coniux;
mimi aderant,
iuvenes secuntur,
5
quos et inmemor
viri exulis
exceptit gaudens
atque nocte proxima
pregnans filium
10
iniustum fudit
iusto die.
3a
Duobus
volutis annis
exul dictus
revertitur.
5
Occurrit
infida coniux
secum trahens
puerulum.
Datis osculis
10
maritus illi
«De quo», inquit, «puerum
istum habeas,
dic, aut extrema
patieris.»
3b
At illa
maritum timens

dolos versat
in omnia.
5
«Mi», tandem,
«mi coniux», inquit,
«una vice
in Alpibus
nive sitiens
10
extinxi sitim.
Inde ergo gravida
istum puerum
damnoso foetu
heu gignebam.»
4a
Anni post hec quinque
transierunt aut plus,
et mercator vagus
instauravit remos:
5
ratim quassam reficit,
vela alligat
et nivis natum
duxit secum.
4b
Transfretato mari
producebat natum
et pro arrabone
mercatori tradens
5
centum libras accipit
atque vendito
infante dives
revertitur.

5a
Ingressusque domum
ad uxorem ait:
«Consolare, coniux,
consolare, cara:
5
natum tuum perdidit,
quem non ipsa tu
me magis quidem
dilexisti.
5b
Tempestate orta
nos ventosus furor
in vadosas sirtes
nimis fessos egit,
5
et nos omnes graviter
torret sol, at il-
le nivis natus
liquescebat.»
6
Sic perfidam
Suevus coniugem
deluserat;
sic fraus fraudem vicerat:
5
nam quem genuit
nix, recte hunc sol
liquefecit.